



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ignatii Loiolae Vita

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

E graui morbo periclitatur. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11486

poris habitum cepit aliqua ex parte componere: deinde cum intelligeret difficilem in primis & ancipitem esse curationem animorum; quo cautiùs rectiusque in re tanta procederet, ope diuina simpliciter etiam atque etiã implorata, suã conuersionis originem ac seriem, variasque tentationum procellas ac tenebras, & subsequitam mox tranquillitatẽ ac lucẽ, quam accuratissimẽ secũ erpendens, demum ex iis quã partim cœlesti magistro dictante perceperat, partim etiam ipsemet experiendo cognorat, de fructuosa ratione meditandi orandique præclaras obseruationes & saluberrima præcepta conscripsit: qui liber (vt antea dictum est) exercitiorum spiritualium titulo, tempore procedente deinceps ab eodem auctus atque recognitus, & Romani Pontificis iudicio ac testimonio comprobatus, ita multos omnis ætatis atque ordinis homines, tum in eligendo genere vitæ, tum in componendis moribus, perturbationibusque sedandis, ac præsertim in retinenda constantia saluari, mirum in modum iuuat, iuuatque quotidie; vt iure optimo videatur hoc nõ in postremis numerandum esse remediis, quæ diuina bonitas hac hominũ ætate vel ad corrigenda sæculi vitia, vel ad renouandã veterem Ecclesiæ disciplinam clementer adhibuit. His ergo meditationibus, quos ad bonam perfectæ virtutis frugẽ Ignatius reperiebãt idoneos, paulatim & quasi per gradus cepit excolere: ceteros interim precibus monitisque, prout sese dabat occasio, a vitiorũ fœditate deterrrens, atque ad studium æternæ beatitudinis incitans; idque eo libentius atque securius, quòd communicandis iis, quæ a Domino adceperat, nihil interim sibi religionis ac spiritus deperire sentiret. Nec solùm venientes ad se benigno excipiebat alloquio, sed etiam inuitatus interdum ab aliis ad prandium, minimè recusabat accedere; nimirũ eo consilio, vt ex re & ex tempore sumpta occasione, qui se in Dei gratiam terrestri pauissent cibo, eodem ipse vicissim spiritualibus epulis & opportuna quapiam adhortatione reficeret. Atque in hunc ferè modum adiuuante Domino permultos ad arctam salutis semitam à via lata & spatiosa traduxit.

E GRAVI MORBO PERI-

CLITATVR.

CAPVT IX.

SED in eiusmodi curam dum incumbit ardentius, nec tamen interea ferè quidquam de assiduitate precandi ac de quotidiana vitæ asperitate diminuit, morbum ex ingenti labore cõtraxit
ad eò

adeò periculosum & grauem, vt sauiente atrociter febrì proximè ad mortem accesserit; quo tēpore & oppidi magistratus periculo viri permoti, publicè diuersorium illi curarunt necessariis rebus instructum: & prater aliam amicorū turbam, honestæ matronæ, quæ vitandæ pestilentia causa Barcinone sese eò receperant, certatim ægrotanti assidère, & nocturnas agere excubias, perinde quasi in vnus vita salus omnium verteretur. Atque his populi officiis, ac pia sedulitate bonorum, ereptus è præsentì vitæ discrimine, in id ipsum iterum ac tertio recidit ob eam causam, quòd nondum planè confirmatis viribus (blandimenta videlicet carnis & veteris hominis malitiã veritus) præpropera festinatione ad pristinas occupationes corporis animique redierat: quarum pondere oppressus, denique didicit ipse, aliisque deinde præcipere solitus est, imbecilla valetudine minuendos labores, curandumque tali tempore, vt quantum de consuetis exercitationibus infirmitas demat, tantum ad Dei gloriam & proximorum ædificationem æquitas animi & exemplum Christianæ fortitudinis addat. Vetabat idem etiam corpus debito somno ciboque fraudari, multis eo tempore doctus experimentis, vt moderata sobrietate vegetatur animus, sic immoderata vigilia vel inedia vires adeò frangi ac debilitari, vt mens earum ministerio destituta, vix munere suo fungi, aut ad contemplationem rerum diuinarum possit exfurgere. Vexatus igitur, vt dicebamus, diuturna & periculosa ægrotatione, demum ita conualuit, vt ex reliquis morbi dolore stomachi molestissimo subinde cruciaretur: quapropter calceos induere, & panni crassioris tunica cinerea, & capitis tegumento contra sæuitiam hyemis munire sese priorum hominum benignitate præcibusque coactus est.

DE INANIS GLORIÆ VI-
TIO SUPERATO.

CAPVT X.

ACESSIT ad illa corporis ægrotantis incommoda, grauis etiam animi cruciatus, ab importuna quadam inanis gloriæ tentatione profectus. Dum enim ingrauescente morbo conscientiam suam diligentius excutit, seque ad extremum comparat mortis agonem, subiit illi repente, se iustum esse, neque villo pacto sibi de sempiterna beatitudine dubitandum. Cui suasioni dum resistere vi summa conatur, intelligens vt quisque sibi

B 5

maximè